

ra, ab omnibus Prophetis, à Ioanne Baptista, ab ipso Christo, & omnibus Apostolis. Vide loca Deut. 4. 29. 1. Reg. 8. 33. Nehem. 1. 9. Psal. 32. 5. Esa. 1. 16. Ier. 4. 1. Thren. 3. 40. Ezech. 33. 11. Matth. 3. 2. 8. Act. 2. 38. Rom. 6. 4. Apoc. 3. 3. 19. & c.

De erroribus Papistarum circa hanc doctrinam nihil nunc dicemus. Quod restat, nos optimum, & indulgentissimum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui filium suum nobis ex mera gratia ideo donauit, & Mediatorem nostrum ordinauit, vt in ipso pro peccatis nostris crucifixo, & ad iustitiam nostram e mortuis resuscitato, doctrina de poenitentia per totum orbem prædicaretur, submisse orabimus, vt nos miseros peccatores, Spiritus sui S. virtute vere conuertat, vt peccata nostra agnoscamus, & deploremus, vera fide in Christum erigamur, & ad omne opus bonum, idque ad poenitentiam nostram vere demonstrandam, eius virtute idonei efficiamur. Amen.

C O N C I O X I .

DE ACTIS IN PRÆTORIO CORAM PILATO,
extextu Matth. 27. à v. 11. ad 32. Marc. 15. à v. 1. ad 21. Luc. 23. à v. 1. ad 26. Io. à v. 28. cap. 18. ad 17. cap. 19. & c.

SEquitur nunc, quid coram præside Pontio Pilato cum Christo sit actum. Totus actus ad 3. membra reuocari potest.

1. *Habet falsam, & confictam Iudæorum accusationem, contra Christum.*
2. *Cognitionem Pilati, eiusque diligentiam (etsi non satis seriam) qua pro liberando, & dimittendo Christo, usus est.*
3. *Iniquam sententiam, qua victus clamore populi, & seniorum Pilatus, Christum innocentem, idque contra suum ipsius de illo testimonium, & conscientiam, damnauit, & vt hostes eius petebant, cruci adiudicauit.*